
Nobile Collegium Mutinense
Sancti Caroli





VENTISETTE EPIGRAMMI

DELL' ANTOLOGIA GRECA

TRADOTTI IN LATINO E ANNOTATI

DAL

Prof. D. G. B. TARASCONI



IN MODENA
COI TIPI DELLA SOCIETÀ TIPOGRAFICA
ANTICA TIPOGRAFIA SOLIANI

1885.

Estratto dal fasc. 52 di Luglio e Agosto 1885
degil *Opuscoli Religiosi Letterarj e Morali.* Serie IV, Tom. XVIII

All' Ill.mo e M. R. Sig. D.r D.n Gaetano Simonini
Rettore del Collegio di S. Carlo in Modena.

Il Prof. D. G. B. Tarasconi, dopo pubblicato nel 1879 il volume intitolato: *Epigrammata ex Anthologia Graeca cum latina metrica conversione et adnotationibus*, che egli siccome *monumentum et pignus singularis benevolentiae suae* volle dedicato *Alumnis Collegii Caroliani Mutinensis sermonis graeci et latini studiosis;* seguitò ad andarne traducendo altri. E questi, quando ne avesse cresciuto a bastanza il numero, aveva in animo di pubblicare quasi a continuazione di quel volume. Per la qual cosa egli aveva già notato in carta l'avvertimento: *Numeri Epigrammatum et paginarum hujus voluminis prosequuntur seriem voluminis editi an. 1879.*

E se egli avesse potuto mettere ad effetto il suo divisamento, come di certo avrebbe fatto dare alla stampa pari formato, non dubito che avrebbe voluto rendere evidente essere que' fogli la continuazione di quel precedente volume. Ancora avrebbe voluto premesso, come in quello, alla sua versione de' singoli

epigrammi il testo greco. Ma perchè è alquanto diversa la misura delle pagine di questi *Opuscoli* da quella della indicata sua edizione; e così è inevitabile che l'Appendice si presenti come un libretto stante tipograficamente di per sè, e d'altra parte io debbo fare risparmio di spazio; perciò a questi epigrammi do il numero progressivo 1, 2, 3,... e non 207, 208,... ed ometto il testo greco, che chiunque voglia può ben facilmente vedere in alcune delle edizioni dell'Antologia.

A parecchi di questi Epigrammi il Prof. D. Tarasconi aveva apposto sue annotazioni illustrative: e queste, com'era di dovere, riporto esattamente. Ad altri forse le avrebbe apposte in appresso: e tali epigrammi lascio così privi di note, perchè nè debbo nè voglio arrogarmi di fare le sue veci; tanto più poi che, in massima parte, quegli epigrammi non abbisognano punto di note.

Alle versioni poetiche aggiungo due prose latine, alle quali il Tarasconi diede la forma di Annotazioni da apporre a qualche epigramma cui si convenissero. La prima di esse si riferisce all'Epigramma che tra questi è il 18.° Ma cresciuta la materia sotto la mano dell'A. riuscì in realtà una compita, dissertazione grammaticale, o trattatello didascalico: e perciò in vece di porla come annotazione a quell'Epigramma, la pubblico da sè. È uno de'suoi scritti riveduti e limati negli ultimi suoi tempi, e da lui destinati alla stampa. Intendeva per altro d'aggiungervi un paio di periodi di chiusa. Ma il progressivo scadimento di sue forze gl'impedì di farlo: non per questo la trattazione cessa d'essere compiuta.

Nel dedicare alla S. V. questi lavori del Prof. D. Tarasconi, tengo per fermo d'essere esecutore del volere di lui, il quale con animo tanto grato ebbe

confortata la sua senilità, ed alleviati per quanto era possibile i dolori dell' ultima e lunga sua infermità dall' amicizia e dalle cure della S. V.

Accolga pertanto questa offerta come proveniente insieme dall' amicizia e dalla riconoscenza dell'Autore, e dalla stima e dal rispetto che alla S. V. professa il suo

Modena, Settembre 1885.

Dev.mo Servitore
Bartolomeo Veratti.

---

1. Pauli Silentiarii. V, 230.

Poeta puellae crine vinctus, quomodo se liberet, non invenit. Natum est hoc carmen, quod etiam Brodaeus animadvertit, ex proverbiali locutione ἐκ τριχὸς κρέμαται, ἐπὶ τῶν σφοδρα κινδυνευόντων.

Aureolum vellens unum sibi vertice crinem
  Mî, ceu captivo, Doris amica manus
Vinxerat. Heic equidem risi, me rumpere nullo
  Vincula, dum vellem, posse labore ratus.
Mox, ubi conatus frustra dissolvere, ahenis
  Non secus ac vinctus nexibus, ingemui.
Infelix! nunc crine regor, dominaeque tenacis
  Quo trahit et retrahit, subsequor arbitrium.

2. Anacreontis. VI, 141.

Qui fuit horrisono in bello Pythoni saluti,
  Palladis hac clypeus pendet in aede sacer.

v. 1. δυσαχεος — Suidas in Δυσηχής, ὁ κακόηχος, Homer. Il. 2, v. 686, vel 193.

3. MAERUS BIZANTIAE. VI, 189.

Nymphas precatur ut Cleonymo faveant, qui ipsis simulacra sub pinu ponenda curaverit.

O, Anigrum, Nymphae, quae flumen habetis, et imum
Ambrosiae roseo curritis usque pede,
Salvete, ac sanum praestate Cleonymon, has qui
Vobis sub pinis dedicat effigies.

v. 1. Lectioni vulg. Αμαδρυάδες, admissae a Jacobsio, praeferenda est lectio Ανιγριάδες, quam ex Ungero recepit Frid. Dübner.

Hamadryades vocantur ποταμοῦ κοραί, propter arbores ad fluminis ripam consitas et ab ejus aquis nutritas.

v. 2. « Nymphis Anigri ima tenentibus *rosei* pedes tribuuntur ob colorem aquarum hujus θινώδους ποταμοῦ. UNGER.

v. 4. *Pinis*. Plin, H. N. XXXVII n. 3 « . . . ut gummi in cerasis, resina pinis ».

4. ANTIPHILI BYZANTII. VI, 199.

Antiphilus, ab itinere redux, Dianae in via collocatae pileum dedicat.

Quem peregre gessit, tibi custos diva viarum
En, petasum gratus consecrat Antiphilus.
Nam bona nec votis aberas, nec gressibus usquam
Nostris: parva refers, sed data corde pio.
Haec avidus ne sit qui tangat dona viator:
Haud impune abiit rem rapuisse sacram.

v. 1. *Diva viarum* in graec, Εἰνοδίη. Proprie *Hecate* viarum custos.

φίλη cod. vat. quod verum puto. Elegans haec epitheti collocatio.

v. 2. πῖλον peregrinantes gestare solebant, quod passim observatum.

5. ANTIPATRI. VI, 241.

Galea Pisoni muneri missa.

Sum galea, et duplex mihi vis: nam visa ab amicis
Laetitiam pario: visaque ab hoste, metum.
Nunc Pisonis, eram ante Pylaemenis; altera digna
Nec galea hoc capite est, nec caput hac galea.

v. 3. *Pisonis*. Vid. Epigrammata nostra n. 7.

Pylaemenis, qui Jacobsio fuisse videtur rex Paphlagonus, memoratus Il. 2, 851, ejusque galeam in Macedonia repertam Antipater noster existimasse munus Pisone dignum.

Il primo distico fu variamente tradotto dal Tarasconi. Eccone altre due lezioni.

Sum galea, et duplex mihi sors data: cernar amicis,
Laetitiam pario; cernar ab hoste, metum.

Sum galea, et duplex mihi vis: me cernat amica
Gens, gaudet; cernat gens inimica, pavet.

Nè io potrei affermare a quale egli desse la preferenza.

6. INCERTI. App. 141.

Parrhasii diagramma, Myos sculptura, cadentem
Aeacidum telis Ilion exhibeo.

v. 2. *Ilion* Accus. graeca positione. Dicitur enim *Ilium, ii* gen. n. et *Ilios, ii* gen. f. Invenitur etiam aliquando *Ilion, ii* f. sed tunc est ellipsis, et *Urbs* subintelligitur. Vid. Forcell. voc. *Ilium* et *Pelion*.

7. SIMONIDIS. VII, 77.

Hic est servator Cei Simonidis, hic vel
Extinctus vivo praemia persoluit.

Cic. de Divinat. I, n. 27 *de Simonide* « qui cum ignotum quendam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat: si navigasset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse: perisse caeteros, qui tum navigavissent. » Hanc rem latius narrat *Val. Max.* lib. I, cap. 7, 3 extern.

8. Incerti. App. 305.

Sculptor Praxiteli florebam haud arte secundus,
Vixque annum lustris quinque ter addideram.
Eutychides, heu falsum, mihi nomen, ad orcum
Invida si miserum mors cita praeripuit.

v. 3. ψευδώνυμον. Falso se Eutychiden i, e. Felicem appellatum esse ait, cum tam immature infelici fato ad inferos abreptus sit.

9. Incerti. VII, 330.

Quem cernis tumulum, vivus sibi Maximus ipse
Fecit, ubi jaceat post sua fata cinis;
Communemque Calepodiae vult conjugis esse
Ne sibi defuncto jam suus absit amor.

10. Agathiae. VII, 551.

In fratres, qui postquam summa concordia vixerant eodem tempore mortui eodemque tumulo sepulti sunt.

Paulum et Letoum fratres ab origine junctos
Iunxit vita velut foedere conjugii.
Hisque eadem Parcae neverunt stamina, eumdem
Bosporii tumulum littoris ora dedit.
Et quia non poterant sejuncti ducere vitam
Persephonem socio nunc adiere gradu.

Salvete, unanimi fratres. O Concordia vestro
Aram stare sibi cerneret in tumulo?

v. 8. Ὁμοφροσύνης. Vulgo eadem est Ὁμοφροσύνη, quae Ὁμόνοια cujus aram apud Eleenses tradit Pausan.

11. Theosebiae. VII. 559.

In mortem Ablabii medici Hippocrati et Galeno comparandi.

Novit Acestorie ter luctum vertice tonso
Tum morte Hippocratis doluit, tum morte Galeni.
At nunc Ablabii (miserum!) jacet ante sepulcrum,
Post hunc ante oculos hominum non ausa manere.

v. 2. (*altra lezione*). Hippocratis doluit mortem, doluitque Galeni.

v. 4. Pudet illam post Ablabii fata, inter homines conspici; quod nimirum tantum artis suae antistitem siverit perire. Jacobs.

12. Anytes. VII, 646.

Eratus, puellae morientis, verba ad patrem.

Brachiolis collum cari complexa parentis
Haec Herato lacrimans ultima verba dabat:
O Pater, heu, tua jam non sum, mea lumina vitam
Linquentis manibus mors tegit atra suis.

v. 3. 4. *Mea lumina vitam linquentis*. Saepe a Graecis genitivi pronominum primitivorum (Ital. *personali*) ἐμοῦ σοῦ, *mei*, *tui* etc. ponuntur eodem sensu quo pronomina possessiva ἐμός, σός, *meus*, *tuus*; imo cum adhibentur possessiva, si eisdem addendum sit per appositionem aliquod nomen substantivum, aut adjectivum, aut participium, id effertur casu genitivo primitivorum, quamvis possessivum, ad quod refertur, sit alio casu expressum. Exemplo sint verba quae hic postremo disticho leguntur ἐμὸν ὄμμα....

Ἤδη ἀποφθιμένης *meum oculum jam morientis*. Haec constructio quam in latina constructione servavi, vocatur κατὰ σύνεσιν, *ad sensum*, seu logica, et praefertur constructioni grammaticali, quae verum sensum non redderet. Quis enim non videat quantum sensu inter se differant *oculus meus moriens*, et *oculus meus morientis*, i. e. quae morior? Constructio hujusmodi logica invenitur etiam, quamvis non tam late patens, apud Latinos, qui frequenter cum possessivis pronominibus copulant *unius*, *solius*, *ipsius*, de quibus et aliis vid. Alvarum, Gram. lib. 2 cap. XIV. Mihi satis sit de genitivo participii, cujus gratia haec adnotatio est incepta, pauca in exemplum proferre, Cic. *pro Planc.* 10. « *Cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas praesentis preces non putes profuisse?* Horat, I, Sat. 423.

Quum mea nemo
Scripta legat recitare timentis.

Ovid. 5, Heroid. 45.

Et flesti et nostros vidisti flentis ocellos.

Frequentius tamen et saepe elegantius, ut monet Voss. libr. de Construct. Cap. 57, Scriptores prosae orationis pro genitivo participii utuntur relativo *qui* et verbo modi finiti; ut Cic. 14 Ep. Fam. 1. « Sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab iis me amari putabam, qui invidebant. » Ubi verba *qui putabam* sunt pro participio *putantis*. Quae circumlocutio necessario adhibetur in verbis quando carent participio. Sic Plin. 4. Epist. 14. « Vehementer interest vestra, qui patres estis, liberos vestros hic (in patria) potissimum discere. »

Non alienum arbitror hic adnotare, quod in libris grammaticis quibus utuntur adolescentuli in scholis, desideratur, et a Matth. Gram. Graec. §. 431 traditur, Graecos adjectivis quoque quae a nominibus propriis derivantur, adjungere genitivum appositionis, quandocumque nomina ipsa propria aliquo additamento adornanda videntur. Homer. Il 2, 54. Νεστορέῃ παρὰ νηΐ Πυλοιγενέος βασιλῆος. Nestoream apud navem Pylinati regis.

Ex hac doctrina mirifice illustrari potest locus Æn. 12, 738.

.... Postquam arma dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulva resplendent fragmina arena.

Virgilius, ad imitationem Graecorum genitivum *Dei* apposuit adjectivo *Vulcania* deducto a nomine proprio *Vulcanus*. Quam appositionem consulto adjectam nemo non dixerit, qui consideraverit, quae oppositio exsurgat ex sequenti dictione *mortalis mucro*. Hinc etiam nostri adolescentuli videant, quantum graeci sermonis studium ad plenam latini cognitionem conferat.

13. Platonis. VII, 670.

In obitum Asteris pueri pulcherrimi.

Aster, in vivis fulgebas Lucifer olim,
Nunc fulges Vesper Manibus in mediis.

v. 2. (*altra lezione*) Lucifer ante.,. Manibus umbricolis.

Lusus est in nomine pueri, qui Ἀστὴρ appellabatur. Hunc Platoni in deliciis fuisse plures dixerunt; Aristippus eum una cum philosopho Astronomiae operam dedisse tradidit ap. Diog. p. 182 ex hoc ipso disticho, ut videtur. Ita Jacobs in Epigr. 669. Cap. VII.

Appulejus in Apolog. p. 417 sic vertit.

Lucifer ante meus rutilans mortalibus Aster,
Hesperus a fato manibus ecce nites.

Vertit etiam Ausonius ep. 144.

Stella prius superis fulgebas Lucifer; at nunc
Extinctus, cassis lumine Vesper eris.

Acumen est in eo, quod pueri pulcritudine conspicui stellis comparantur; cujus comparationis fons ap. Homerum est. Il 6, 401.

14. ANONYMI. VII, 695.

Imagini Cassiae, in monimento fortasse sepulcrali conspicuae, subscriptum.

Pulcrum modestae Cassiae vultum vides:
Quamvis obivit, nota sui virtutibus
Pulcritudo animi magis quam corporis.

Graec. Etsi obiit, virtutibus cognoscitur animi *ejus* pulcritudine magis quam corporis.

15. INCERTI. App. 149.

Laudatur Polycles, nescio quis, ob prudentiam in consiliis et fortitudinem in bellis pro patria susceptis demonstratam.

Hic te marmoreum cives posuere, Polycles,
(Haud aetas nomen deteret ulla tuum)
Qui te consilio, dextra vitaque modesta
Praestantem norunt praesidium patriae.

v. 2. Verba ὁ μυριέτης,... χρόνος orationem institutam eleganter interrumpunt. Vid. Lobeck ad Sophocl. A. p. 294, Jacobs, Tom. 3 (pars critica) pag. 925.

Tuam gloriam nullum unquam tempus imminuet. Id. ibid.

16. CYRI. 9, 136.

O genitor mandasset oves mihi pascere curam!
Tunc equidem recubans ulmi vel rupis in umbra
Tristis arguta solarer arundine casus.
Pierides, pulcra fugiamus ab urbe, novamque
Quaeramus patriam. Jam nuntius omnibus ibo
Ingressos fucos et apum tenuisse penates.

17. ANTIPATRI. IX, 552.

Alexandri gladius, e ferro Macedonico conflatus Pisoni traditur.

Ensis apud Macetas ferro fabricatus, et ipsa
Doctus Alexandri fortia facta manu,
Piso, tuas veni in palmas, clamoque beatus:
Debita quaerenti dextra reperta mihi est.

v. 1. τὰ πρὸς ἀλκήν i. e. quam didicerim esse fortis a manu Alexandri.

v. 3. Gaudet gladius quod ex fortissimi viri hereditate in fortis viri manum pervenerit.

18. INCERTI. IX, 699.

In fontem, cui Alexander Olympiadis matris nomen tribuisse dicitur. Plures fontes hoc nomen gessisse videntur. Unum commemorat Pausanias apud Arcades lib. 5, c. 9, pag. 606.

Magnus Alexander bibit hujus pocula lymphae,
Quae matris lacti ratus esse simillima, fonti
Nomen Olympiadem dixit, signumque reliquit.

v. 3. σῆμα δὲ τοῦτο in fine. Vult igitur, Alexandrum prope illam fontem etiam monimentum posuisse, quod nomen fonti indictum causamque ejus indicaret.

19. INCERTI. X, 40.

Nequando mala lingua, cave, te fallat, amico
Ut veteri quaeras substituisse novum.

20. AMMIANI, XI, 209.

In egredientem fines suos et alienos agros occupantem.

Continues injustus agros licet usque columnas
Herculeas, te pars, quae sua quemque, manet:

Nilque jacebis habens, obolum nisi, ut Irus; humusque
In quam solveris, non erit ipsa tua.

v. 1. *Continues agros*, propages fines agrorum. Cic. 3, Agr. 4. *Ingens cupiditas agros continuandi.*

v. 2. *Columnas Herculeas;* duos montes ad fretum Gaditanum (stretto di Gibilterra) qui occurrunt intrantibus ex oceano in mare mediterraneum; horum unus ad Hispaniam pertinens, *Calpe* appellatur, et alter ad Mauritaniam, *Abila* dicitur.

v. 3. *Obolum* parvum numum, apud Graecos, circiter XVI nostratibus numis quos *centesimi* vocamus, respondentem, qui in os mortuorum immittebatur, ut Charonti naulum possent exsolvere.

Ammianus, qui sub Trajano et Hadriano floruit carmen suum texuisse videtur ad exemplum loci quam maxime elaborati Horat. 2, Od. 18, 23 et seg.

21. Antiphalis, XI, 348.

In parricidam.

Te, mage saeve feris, oderunt cuncta, necator
Patris: quoque ieris poena parata tibi est.
Si fugias terra, lupus obvius; arboris altos
Ascendas ramos, insidet aspis atrox.
An Nilum tentes? Crocodilus bellua servat
Natales ultrix impietatis aquas.

22. Luciani. XI, 403.

In podagram divitum pedibus infestam.

O Dea mendicos fugiens, ditumque domitrix,
Ac bene, quotquot eunt, vivere docta, dies;
Alterius pedibus quamvis insistere cures,
Unguine cauta foves fasciolisque tuos.

Serta tibi grata, ausonii tibi pocula Bacchi
Deliciae, quarum nescia pauperies:
Hinc inopum nil aeris habentia limina vitas,
Gaudens ad molles divitis ire pedes.

v. 2. *Ditum* genit. plur. apud Forcellin. ex Seneca, sed apud eundem desideratur genit. *ditium* adhibitus a Sallustio lib. 3 Fragm. Hist. in oratione Macri Licinii ad plebem. n. 26. *Huc ire licet et illuc, munere ditium dominorum.*

v. 3. *Quotquot eunt ... dies*, i. e. *quotidie.*
Horat. 2, Od. 14, 5.

Non si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice places illacrimabilem
Plutona tauris.

v. 3. *Alterius pedibus*, v. gr. pedibus lecticariorum. — *Fasciolis*, impiliis, pedum tegumentis ex lana coacta.

v. 4. *Unguine*, Homines opulentes ac molles sumptuosis unguentis etiam pedes sibi perfundebant. Vid. Forcell. voc. *Unguentum.*

v. 7, 8. Sensum ita interpretatur Jacobsius, *Del. Epigr. c.* VII, 65. *Vitato pauperum limine, opulentis das operam iisque inservis: hoc enim est* πρός πόδας ἔρχεσθαι *quia servi ad herorum pedes stabant. Vid. ad cap.* VI ep. 37 (Anthol, l. XI, 11). At huic explicationi obstat in primis verbum ἔρχεσθαι quod proprie non significat *stare*, sed *venire, ire, accedere:* quam significationem retinet quoque in Ep. ad quod lectorem mittit Jacobsius. Deinde contextus sententiarum ex quibus apparet podagram ad pedes divitum ire non ut inserviat, sed ut sibi inserviatur: servi quidem in Conviviis ad pedes heri stabant; sed hoc servile munus hic podagrae tribui non potest.

Vide quam simili modo ludat Martialis XII, 17 de diutina Lentini febri.

23. Archiae. XVI, 94.

Ad incolas Nemeae ob leonem iisdem infestum ab Hercule interfectum gratulatio. Vid. Theocrit. Idill. 35

v. 195-281 ubi Hercules ipse suum cum leone nemeaeo certamen plene planeque narrat.

Parcite nunc demum voces horrere leonis,
    Pastores Nemeae, neve timete gregi.
Herculea prensus dextra domitrice ferarum
    Corruit elisis faucibus exanimus.
Pasqua tuta boves repetant; rursum audiat Echo
    Mugitum, vallis quae cava saxa colit.
Tuque leoninam, victor, rursum indue pellem,
    Aversamque tibi flectere perge deam.

v. 1. *Altre lezioni di questo primo verso.*

Parcite terribiles voces horrere leonis....
Parcite jam solitas voces etc.

v. 3. *Domitrix ferarum.* Hercules varias feras edomuit aut occidit: hinc a Seneca *Herc. Oet.* 1989 vocatur *domitor ferarum.*

v. 5. *Nemeae:* Nemea, oppidum Peloponnesi cum silva, seu regione silvosa, et rupes ejusdem nominis, ubi Hercules leonem prodigiosae magnitudinis occidit. In cujus facti memoriam ludi Nemae instituti fuerunt.

ib. *Neve,* et per apocopen *neu,* aliquando, ut hic, adhibetur pro *et ne.*

Ovid. I. Trist. 5, 35 ..... Rebus succurrite lapsis.
    Et date naufragio litora tuta meo;
Neve metu falso nimium trepidate timentes....
id. V, Trist. 8, 21.
Neve tamen tota capias fera gaudia mente.
et Met. 14, 159. *Neve* ea ficta putes.....
Hor. 1, Od. 2, 50. Hic ames dici pater atque princeps;
    Neve sines Medos equitare inultos.

v. 7. *Leoninam... rursum indue pellem.* Mythologi vulgo dicunt Herculem leonis Nemaei pellem gestasse. Hic autem Archias seguitur Apollodorum, qui tradit Herculem ante hunc interfecisse alium leonem in Cithaerone, ejusque pel-

lem induere solitum. Quare poeta hortatur Herculem ut pellem ad commodius certamen ineundum depositam resumat, aliisque facinoribus Junonis novercae odium placare pergat.

24. Crinagorae. XVI, 273.

In laudem Praxagorae medici,

Elicito dextram panaces humore fragrantem
Phoebigena ipse tuo pectore, Praxagora,
Tersit, quo curas artis tibi solveret, ac te
Qui dolor a longis febribus eveniat,
Quaeque super sectam medicamina ponere pellem
Expediat, felix Hepione docuit.
Tales suppeterent medici mortalibus aegris,
Umbrifera haud iret semper onusta ratis.

v. 7. (*Altra lezione*). Tales si medici plures mortalibus essent.

v. 3. ᾽ανῖαι. Hanc ob causam omnia febrium remedia, omnemque vulnerum curandorum rationes tenes.

25. Agathiae Scholastici. Plan. 331,

In imaginem Plutarchi.

Cheronaee, viri latii, Plutarche, figuram
Insignem fama constituere tuam:
Quod scribens vitas, genuit quos Graecia magnos
Cum magnis confers quos tulit Ausonia.
At nec tu ipse tuae parilem conscribere vitam
Posses, nam vita par tibi nullus adest.

26. Mnasalcae Sicyonii. Groot. Tom. III, pag. 366.

Fingitur Virtus lugentis habitu Voluptati adsidere, et conqueri quod ἡ τέρψις sibi anteponatur. Opponuntur sibi ἡ ἡδονή, Epicureorum voluptas, quae multas virtutis partes habet et τέρψις, corporea voluptas, in qua nullus virtuti locus.

Hic vicina Voluptati, miserabile visu!
Adsideo Virtus, dilaniata comas,
Ingentique animum perculsa dolore, quod omnes
Hanc, unde omne malum, praeposuere mihi.

Asclepiades hoc carmen Mnasalcae accomodavit ad tumulum Ajacis. (VII, 145). — Vid. pag. 76 edit. 1879. Ep. 101.

27. App. 191.

Haec nova pro merito et magna virtute dederunt
Prudentes ducibus praemia Cecropidae.
Sic et erit magis, haec ut quis quum viderit olim
Aeque de patria promeruisse velit.

Hoc epigramme cum duobus aliis insculptum Hermis erat. Vid. Aeschinem et Plutarchum in vita Cimonis.

I.

De nominum propriorum impositione latine significanda.

1. Si hic de quibusdam formulis, seu modis, quibus boni latinitatis auctores nomen alicui inditum enunciant, aliquanto longiorem adnotationem posuero; id non inutile et ingratum latini sermonis studiosis futurum arbitror.

= Duae istae (inquit Gellius XV, 29) in loquendo figurae notae satis usitataeque sunt. *Mihi nomen est Julius,* et *mihi nomen est Julio*...... = Sic proculdubio cum Jacob. Gronovio, quem vide sis ad h. l., debent legi duo loquendi modi a Gellio allati; non vero, *Mihi nomen est Julio,* et *Mihi nomen est Julii,* ut legunt aliqui, queis mirum est accessisse Forcellinium (voc. *Nomen,* §. 1 ed. Patav. 1827), qui nullum potuit afferre exemplum classici scriptoris quo probaret *nomen* cum genitivo a se pendente constructum.

2. In prima formula Gelliana, *Julius* est nominandi casus per appositionem voci *Nomen* additus; in altera, vox *Julio* est dandi casus per attractionem adhaerens voci *mihi.* De figuris, appositione et attractione, vid. quae ad Epigr. 125, v. 2 et epigr. 142, v. 4. adnotavimus (1). Et quoniam Gellius illas formulas, utpote aetate sua satis notas, nullis exemplis illustravit, id nunc mihi minime negligendum puto.

(1) Queste citazioni si riferiscono alla edizione del Tarasconi (Modena, 1879) indicata nella Lettera premessa a questi Epigrammi.

3. Exempla formulae « Mihi nomen est Julius. Cic. Brut. 62. «..... Sex. Titius.... homo loquax « sane et satis acutus, sed tam solutus et mollis in « gestu ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi « *Titius* nomen esset. ».

T. Liv. I, 1. « *Troia* et huic loco nomen est. » id. I, 34. « Demaratus.... duos filios genuit. Nomina « his *Lucumo* atque *Aruns* fuerunt. » id. III, 57. « Leges decemvirales quibus Tabulae duodecim est « nomen, in aes incisas publice proposuerunt.

4. Exempla formulae « Mihi nomen est Julio. » T. Liv. I, 39. « Puero dormienti, cui *Servio* « *Tullio* nomen fuit, caput arsisse ferunt. »

Cat. Orig. apud Cortium, Fragm. Histor. (pag. 10(« Fluvio nomen est *Taccolico*. »

Interdum dativus, quo nomen proprium attrahatur, subauditur.

T. Liv. I, 4. « Lupam.... lingua lambentem pue- « ros magister regii pecoris invenit: Faustulo fuisse « nomen ferunt. » id. XXVI, 50. « Scipio.... accepit, « desponsatam eam principi Celtiberorum adolescenti: « *Allucio* nomen erat. »

Q. Curt. IV, 36. « A celeritate, quo (amnis) « defluit, *Tigri* nomen est inditum. »

5. Constructio adhibita in formulis, quibus inest verbum substantivum, servatur etiam ubi substituitur verbum passivum aut intransitivum. T. Liv. I, 34. « Puero in nullam bonorum sortem nato, ab inopia « *Egerio* inditum nomen. » Ovid. I, Fast. 237. « Inde « diu genti mansit *Saturnia* nomen. »

Quod si in locum verbi substantivi sufficiatur verbum activum, tunc pro nominativo appositionis usurpatur dativus attractionis. Virgil. IX, *Georg.* 271. « Est etiam flos in pratis, cui nomen *Amello* Fecere « agricolae. » Interdum vero pro dativo attractionis

adhibetur accusativus appositionis. T. Liv. I, 1. « Stirps « quoque virilis ex novo matrimonio fuit, cui *Asca- « nium* parentes dixere nomen. »

Ovid. 3. Fast. 245. « Adde quod excubias regi « Romanus agebat, Qua nunc *Exquilias* nomina « collis habet. » Virg. III. Æn. 18 « .... moenia prima « loco..... *Aeneadasque* meo nomen de nomine fingo. »

6. Non me latet illa communis Grammaticorum sententia, nomen quod alicui inditur, posse praeterquam casibus, de quibus supra dictum est, exprimi genitivo, ita ut in latinitate non peccaret qui diceret, *Mihi nomen est Petri*, vel *Petri nomen habeo.* Utrobique enim, ajunt illi, genitivus *Petri* a voce *nomen* penderet.

Hinc Servius ad Virgil. I. Aen. 271 haec adnotat: « Dicimus autem et *nomen mihi est Cicero*, ut « Terentius *Hecyra est huic nomen fabulae*, et *Ci- « ceronis*, ut Sallustius *Cui nomen oblivionis con- « diderant*, et *Ciceroni*, ut *Cui Romulo cognomen « erat*, et *Ciceronem*, ut *Aeneadasque meo nomen « de nomine fingo.* Melius est tamen dativo uti. » Servio concinere videtur Donatus, qui ad illud Terent. *Hecyr.* Prol. I. *Hecyra est huic nomen fabulae,* ita scribit: « Nominativo casu figuravit, quamvis praesto « sint exempla, quibus veteres per omnes fere casus « hoc genus locutionis enunciabant. » Per verba autem *omnes fere casus* intellige Nominativum, Genitivum et Dativum, ut monet Frid. Lindenburchius, Donati explanator.

7. Neque aliter illi, quos mihi e posterioribus contigit videre, grammatici loquuntur. Quorum unus instar omnium sit celeber hac nostra aetate Madvigus, qui in Indice suae grammaticae (trad. del Dott. Carlo Fumagalli. Milano, 1869) voc. *Nomen*, quid in § 246 tradiderit, his verbis indicat: « *Nomen « mihi est Mercurio, Mercurius, Mercurii.* »

8. Ne quis igitur formulas quibus inest genitivus, aut inscitia, aut negligentia a me praetermissas existimet; videndum est quo fundamento grammaticorum sententia nitatur. Quod priusquam aggrediar, oportet constituere quid sit nomen proprium, et deinceps etiam declarare, quatenus hic tractamus de ejus impositione latine significanda. Quae duo si bene teneantur magno futura sunt momento ad recte judicanda quae contra afferuntur aut afferri possunt pro genitivo.

9. Quod spectat ad primum, sic nomen proprium optime definit Cicero I. *Inv.* 24. « Nomen est quod « unicuique personae datur, quo suo quaeque proprio « et certo vocabulo appellatur. » Quod si hic tantummodo vocabulum *personae* mutes in vocabulum *rei*, plane bene ad Ciceronis normam nomen etiam rei definiveris. Ex quo consequitur nomina gentilicia, quibus gens, seu familiae ejusdem stirpis designantur, et cognomina quibus familiae inter se distinguuntur, itemque agnomina, quibus insigne factum aut qualitas in memoriam revocatur, (1) nomina denique quibus dignitatis vel honoris gradus significatur non esse *propria*, sed *appellativa;* quia non proprio et certo sed pluribus communi et incerto vocabulo personam appellantia, eam non definite distincteque designant. Idcirco solum κατ' ἐξοχὴν (per excellentiam) nominum

(1) Saepissime pro agnomine usurpatur Cognomen. T. Liv. XXV, 2. « P. Cornelius Scipio cui post Africano *Cognomen* fuit ». Quamvis autem *Publius* sit nomen et *Cornelius* sit cognomen, tamen Publius et Cornelius sic conjuncte positi, habentur ut nomen, ac proinde *Africanus* ut cognomen. Vid. Contium ad Sallust. Jug. V. 4. Sic interdum nomen pro cognomine ponitur. Cic. Caecin. 10. « Argen« tarius Sextus Clodius cui nomen est *Phormio.* » Item pro agnomine, Horat. IV, Od. 8. v. 18. de P. Scipione « qui domita Nomen « ab Africa lucratus rediit. »

propriorum vice persaepe funguntur. Quamobrem loca classicorum, ubi nomen impositivum genitivo expressum habetur, nihil ad rem nostram faciunt, si id nomen non vere sit proprium, sed appellativum. Ut in exemplis quae subjicimus.

10. Alterum quod volumus praemonere est hic quaeri de nominis impositivi exprimendi modis, iisque absolutis, sine ullo respectu ad aliam aut personam aut rem cognominem, quales omnino sunt modi a Gellio memorati.

Propterea ad tuendum genitivi usum, extra terminos nostrae quaestionis esset proferre v. gr. illud Virgil. Aen. VI, 381. *Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.* Per genitivum enim *Palinuri* respicitur ad causam, cur Lucaniae promontorium, (non procul a Velia), in quo sepelietur Palinurus Aeneiae navis gubernator, vocabitur nomine quod erat proprium Palinuri. Ea causa minime aperte indicata fuisset, si poeta dixisset, *Palinurum* aut *Palinurus* nomen habebit. Item alienum esset illud ejusdem Virgil. Aen. IX, 297, ubi Ascanius alloquens Euryalum, pollicetur matrem ejus sibi quoque matrem futuram, et tantummodo carituram nomine quod habebat Creusa mater ipsius Ascanii.

« Spondeo digna tuis ingentibus omnia coeptis.
« Namque erit ista mihi genitrix nomenque Creusae
« Solum defuerit. »

Si Ascanius diceret, *Creusa* nominandi, vel *Creusae* dandi casu, non appareret ratio cur id nomen esset illi mulieri defuturum.

11. His expositis, venio ad grammaticos, quos supra nominavi. Et quoniam grammaticorum praecepta tantum valent, quantum rationes aut classicorum exempla, quibus confirmantur; Donatum et ejus

interpretem praeteribo, qui nullis quod ajunt comprobant argumentis. Servius autem ad evincendum genitivi usum affert ex deperditis Sallustii libris verba: *Cui nomen oblivionis condiderunt.* Quo loco, quamvis imperfecto (deest enim antecedens ad quod referatur dativus *cui*); satis tamen manifestum est Sallustium loqui de praeclaro Thrasybuli facto, quo Athenienses, *reconciliata pace,* (ut ait Nepos, *Thras. III*) *legem tulit, ne quis anteactarum rerum accusaretur, neve mulctaretur; eamque illi legem oblivionis appellarunt.* — *Haec oblivio,* addit Val. Max. IV, I. *Ext.* IV, *quam Athenienses ἀμνηστία vocant, concussum et labefactum civitatis statum firmavit.* Servius itaque Sallustii auctoritate nihil probat; quum oblivio sit nomen appellativum, uti graece est *ἀμνηστία,* et solum per excellentiam et ex contextu orationis significat quamdam legem specialem ad quam oblivio referenda sit. Differunt tamen ἀμνηστία et oblivio, quod graece illa praecipue de injuriis dicatur; haec vero latine de omnibus rebus indiscriminatim, quarum recordatio non habetur.

12. Inefficax quoque ob eamdem causam censendum est quod tradit Madvigus, qui *Gramm. Lat.* §. 246 haec scribit: « Il nome (proprio) si può aggiungere anche al genitivo che vien retto da *nomen*, p. es. *Q. Metello cognomen Macedonici inditum est.* (Vell. I, 11). » Hic, ut omittam quod parum aut nihil ad rem attinet, Madvigum duo Velleji loca, alterum I, 11, alterum II, 11 in unum confudisse; (1) nemo non videt vocem *Macedonici* esse nomen ap-

(1) Vell. I, 11. « ..... quippe Q. Metellus praetor, cui ex virtute *Macedonici* nomen inditum erat. » et II, 11. « Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum; virtutique cognomen *Numidici* inditum. »

pellativum, eoque vocari posse quidquid aliqua ratione ad Macedoniam referatur. Idcirco autem Q. Caecilius Metellus Macedonicus est cognominatus, quia, devicto Pseudophilippo. Macedoniam recuperavit.

13. Formulas vero illas, *Nomen mihi est Mercurio, Mercurius, Mercurii*, quas idem cl. v. posuit iu Indice suae Grammaticae, jam pridem adscripserat Taddeus Ugoletus ad Plaut. *Amphytr.* Prolog. v. 19.

Jovis jussu venio, nomen Mercurii est mihi.

At, quemadmodum plures eruditi hic legendum conjectaverant *Nomen Mercurio est mihi;* sic eam lectionem in sua Plaut. edit. F. H. Bothe ex cod. Pal. 5. confirmat, carpitque acriter Lambinum qui hoc loco, omnes libros tum manuscriptos tum vulgatos proferre dixerat, *Mercurii*, non, quod aliis placuerit, *Mercurio.*

14. Vix tamen crederem, nisi oculis meis legissem, ipsum Bothe contentum fuisse simpliciter animadvertere, dativum *Mercurio* non esse genitivo *Mercurii* deteriorem. Par enim erat doctum censorem et interpretem, hoc saltem admonere genitivum istius modi inusitatum esse stilo plautino. Certe equidem, quum Plauti Comoedias, in quibus frequenter nomina propria personarum aut rerum evulgantur, percurrerem, nusquam alibi ea gignendi casu posita inveni; sed saepe nominativo, saepius dativo si verbum est substantivum vel simplex vel participio passivo conjunctum, et interdum accusativo, sicubi verbum est activum. Ex locis amplius triginta, quae notavi, aliquot subjicio, specimen plautini in hac re loquendi moris.

Alazon graeco huic nomen est Comoediae
Id nos latine _gloriosum_ dicimus.

***Mil. Glor.* I, 1, 8.**

Ps. Quid est ei homini nomen? *Syc.* Leno Ballio.
Pseud. IV, 2, 21.

Dic, in ensiculo quid nomen est paternum. *Pol.* Daemones.
Rud. IV, 4, 115.

Quid est tibi nomen, adolescens? *Syc. Pax*, id est nomen mihi.
Trin. IV, 2....

Mihi est Menaechmus nomen.
Men. V, 9, 9.

Huic nomen graece est *Onagros* Fabulae.
Asin. Prol. 10.

..... nomen .... huic est *Thesauro* fabulae.
Trin. Prol. 15.

Nam mihi nomen est *Auxilio.*
Cistell. I, sc. 3, v. 6.

Menaechmo idem quod alteri nomen fuit.
Men. Prol. v. 43.

Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero *Postumus*?
Aulul. II, sc. I, v. 42.

Dinacium! *Din.* Istud indidere nomen majores mihi.
Stich. II, sc. 2, v. 8.

Propterea huic urbi nomen *Epidamno* inditum est.
Men. II, sc. 1, v. 38.

Gelasino nomen mihi indidit parvo pater,
Quia inde jam a pauxillo puero ridiculus fui.
Stich. I, sc. 3, v. 20.

Juventus nomen fecit *Peniculo* mihi.
Men. I, sc. 1, v. 1.

Philemon scripsit, Plautus vertit barbare,
Nomen *Trinummo* fecit.
Trin. Prol. v. 20.

15. Cogitanti mihi cur in modis loquendi de quibus hactenus disseruimus, nunquam nomen proprium genitivi casu designetur, ratio videtur repetenda tum ex natura ipsius genitivi, tum ex usu communi eloquii. Namque placet uti verbis Laurentii Vallae, *Elegant. II.* 1. « Genitivus omnis (ut taceam, si qui « sint alii modi) aut active, aut passive accipitur: « adde etiam possessive, quod pene pro activo acci- « pio. Active, ut Providentia Dei, Bonitas Dei. Pas-

« sive ut Timor Dei, Cultus Dei. Ibi Deus providet, « et benigne agit, non ipsi providetur, et benigne « fit: hic timetur et colitur; non timet, nec colit. Pos- « sessive, ut Sedes Dei, Regnum Dei. Atque in hujus- « modi oratione, ut intellectus apertus, atque unus « est, ita in illis ambiguus et anceps: Amor Dei, « Charitas patris..... dubium est de utro loquaris, « an de amore, quem Deus in nos habet, an de eo, « quem nos in eum; de charitate patris in filios, an « filiorum in patrem.... »

16. Usus vero *quem penes arbitrium est, et jus et norma loquendi,* sensum activum seu possessivum, et non alium affixit genitivo pendenti a voce *nomen,* tam si genitivus ejusmodi exprimat nomen proprium, veluti ille apud Virgilium, de quo supra, *Palinuri nomen habebit*; quam si exprimat appellativum, ut hic apud eundem Æn. V, 563, 564.

> Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
> Nomen avi referens Priamus.

Igitur te cuipiam interroganti, *quod nomen tibi est,* vel *quod nomen habes,* perperam responderes, *Petri;* quia sic non tuum sed alterius nomen ederes, tamquam si interrogatio esset haec *Cujus nomen est tibi?* vel *Cujus nomen habes?* Sic illud Ovid. *Fast.* IV, 70. *Adhuc Circes nomina littus habet,* congrueret interrogationi, *Cujus nomina littus habet?*

17. Quambrem, ad plautinum locum controversum redeuntes, etiam si daremus histrionem, qui ibi loquitur, dixisse, *nomen Mercurii est mihi,* possemus contendere id eum jocular iter fecisse, ut sic ostenderet se non proprium suum nomen prodere sed imaginarium et scenicum, id est *Mercurii,* sicuti postea eodem plane modo jocular iter ait se non esse verum

Mercurium et histrionem suum socium non esse verum Jovem, quamvis id per se jam notum ac manifestum esset spectatoribus. Quod ut melius intelligatur ponam ipsa histrionis verba:

> **Etenim ille cuju' huc jussu venio, Juppiter,**
> **Non minus quam vostrum quivis, formidat malum,**
> **Humana matre natus, humano patre,**
> **Mirari non est aequom, sibi si praetimet.**
> **Atque ego quoque etiam, qui Jovis sum filius,**
> **Contagione meae matris, metuo malum.....**

18. Caeterum graeci quoque in formulis, quibus nominum impositionem significant, haudquamquam genitivo dant locum, Vid. Matthiam (*Gramm. Grec.* §. 306). Sed cave tamen ei credas ibidem ajenti a Graecis differre Latinos, utpote qui genitivum aut dativum admittunt; idque hoc exemplo a se conficto declarat; *Est ei nomen Tullii aut Tullio.* Vid. et *Thesaurum Ling. Graec.* edit. Didot, Voc. ὄνομα, ubi animadvertitur *genitivum non recurrere* nisi τοῦ πάππου ἔχων τοὔνομα (*Avi nomen habens*) Thucyd. 6. Sed hoc Thucydidis, quod legitur libr. cit. cap. 7, exemplum non valet ad regulae exceptionem; si quidem indicatur Pisistratus Pisistrati, tyranni Atheniensium ex filio nepos ideoque, τὸ πάππου est genitivus originis, similisque Virgiliano Aen. V, v. 564 *nomen avi referens Priamus*; nec poterat sine sensus perversione mutari in accusativum appositionis. (Vid. Matthiam §. 414), aut in nominativum (§. 306), uti graece saepe fit etiam in constructione activa.

Liceat hic mihi obiter animadvertere, quod in antiquis editionibus Thesauri Henrici Stephani locum Thucydidis recte citatur ut probetur τοὔνομα pro τὸ ὄνομα non modo a poetis, sed etiam a scriptoribus prosae adhiberi; in editione vero didotiana male trans-

fertur ad constituendam, quam paulo ante dixi nullius momenti, exceptionem. Frequenter hujusmodi genitivus originis, ut apud Latinos, sic et apud Graecos occurrit. Cujus rei exemplum habes in hoc ipso Anthol. Epigr. v. 3. Atque ne alio ab Anthologia discedas, Epigr. 57, v. 1. Cap. XIV. Οὔνομα μητρὸς ἔχω item epigr. 288, v. 1, Cap. XVI, Οὔνομ' ἔχεις Λιβάνου.

19. Contra vero quum nomina appellativa quae imponuntur, fere omnia deriventur ex aliqua aut qualitate aut proprietate, certo generi personarum aut rerum communi; ob respectum ad hanc suam originem non modo possunt, sed non raro etiam debent, ne sensus vitietur, casu genitivo designari. Id facile cognoveris ex Horat. IV, od. IX, v. 45.

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen *beati*, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque leto flagitium timet.

Item. I, Epist. VI, v. 15.

Insani sapiens nomen feraet, aequus iniqui;
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.

Utrobique poeta utitur genitivo, quia abest dativus attractionis, neque is facile subaudiretur; accusativus vero appositionis evaderet ambiguus, quia posset etiam tamquam epitheton referri ad *nomen*. Nemo autem non videt *nomen beati*, *insani*, *iniqui* idem esse ac si diceretur nomen hominis ex eorum genere seu numero, qui beati, insani, iniqui vocantur. At bene ponitur dativus, II. Serm. III. v. 47, 48,

..... Nunc accipe quare
Desipiant omnes, aequo ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere.

hic enim adest dativus attractionis *tibi*. At Plinius in illo XII, 30. « Arabiae divitias indicari convenisset, « causasque quae cognomen illi *felicis* et *beatae* de- « dere » potuisset pro genitivo adhibere aut dativum, omisso etiam dativo attractionis (*illi*), quia is facile subauditus fuisset, aut accusativum appositionis (*felicem et beatam*), quippe qui nullum ambiguitati locum fecisset.

20. Quamvis porro liceat nomina appellativa casu genitivo enunciare; saepe tamen iisdem formulis, quibus nomina propria invenies expressa. Cujus rei iis quae supra retulimus, haec addere libet exempla. Edict. Censor. an. ab u. c. 672 apud Suetonium de cl. rhet. cap. 1, et Gell. XV, 11, *Renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinae insituerunt..... eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetoras.*

21. Non est hoc loco praetereunda formula quam veluti novam duabus illis quas initio posuimus, Gellius subjicit his verbis: « Tertiam figuram novam « hercle reperi apud Pisonem in secundo Annalium. « Verba Pisonis haec sunt: *L. Tarquinium collegam « suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere,* « eumque *orat uti sua voluntate Romam contendat.* « *quia Tarquinium,* inquit, *nomen esset,* hoc proinde « est, tamquam si ego dicam, *mihi nomen est Julium.*

Primum omnium animadverto, eos falli, qui in allato Pisonis loco pro *Tarquinium nomen esset,* legunt, *Tarquinio nomen esset.* Ex hac enim lectione non sequeretur formula, *mihi nomen est Julium,* quam veluti novam deducit Gellius: sed haec notissima cum dativo, *mihi nomen est Julio,* quam antea jam ille proposuerat, et inopportune hic repeteret. Deinde noto hanc tertiam formulam non esse ejusdem generis ac duae praecedentes, siquidem hae ad nomen

proprium personae, illa ad appellativum gentis, seu familiae pertinet. Vox enim *Tarquinium* ibi apud Pisonem est nomen adjectivum gentilicium, uti est *Julium*. Hinc apud Liv. 1, 3. « .... quem Julium eun- « dem Julia gens auctorem nominis sui nuncupat », et apud Virg. Aen. I, 292. « Julius, a magno de- missum nomen Iulo.

Nomen autem saepe ponitur pro gente, genere, familia; sed interdum id fit, ut supra, significantius; quia sic ostenditur nomen per se solum sufficere ad odii offensionisque causam; ut apud Liv. II, 42, « In- « visum erat *Fabium* nomen plebi, propter novissi- « mum Consulem. » Itidem II, 2 ubi, ut in allato à Gellio Pisonis loco, agitur de L. Tarquinio Collatino Consule recens creato: « Consulis alterius (Colla- tini) « quum nihil aliud offenderit, nomen invisum « civitati fuit. Nimium Tarquinios regno assuesse..... « Nescire Tarquinios privatos vivere: non placere « nomen.... » Et quoniam Collatinus tum genere, tum nomine ad Tarquiniam gentem pertinebat, postea a Bruto distincte vocatur, *regium genus, regium nomen*.

22. Res ipsa, quoniam de nominum impositivorum significandorum modis disputavimus, postulare vide- tur, ut a grammaticis, quod sciam, non memoratum referam modum, qui habetur Æn. III, 614.

Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulyssi
Nomen Achemenides.

Ubi certe pro *nomine Achemenides*, quod vul- gatis editionibus circumfertur, legendum esse *nomen Achemenides* jam omnes consentiunt eruditi. In ve- teribus enim, ut ait Pierius, fere omnibus exempla- ribus « legere est *nomen Achemenides* et, sicubi *no- mine* scriptum est, id in his exemplaribus quae ver- samus, subditicium est, priore abrasa lectione. »

Virgilius itaque pro *nomine* posuit, quod multo hic elegantius est, *nomen* graecorum constructionem imitatus. Si enim hac in re ὄνομα (nomen) quod est accusativus *relationis* saepius usurpant quam ὀνόματι, quod est dativus, idem atque ablativus *nomine* apud Latinos. Virgilium sequutus est Ausonius, qui 2 *Edyll.* 1 canit:

Nomen ego Ausonius, non ultimus arte medendi.

Ubi pariter in quibusdam Mss. ab indoctis librariis substitutum est *Nomine ego Ausonius.* Vid. Jac. Tollium ad h. l.

II.

Tabulam. Ita picturam telae illitam vocavi, quod fortasse eorum alicui non probabitur, qui meminerit haec quae Morcellius doctissimus vir praecipit. « Pic-« turas plerique *Tabulas* indiscriminatim appellant, « sive ligno inductae fuerint, sive illitae telae. atqui « Latini illi veteres pictorem in tela pingentem vi-« derunt nullum, et quas dicebant *Tabulas pictas,* « tabulas re vera esse intelligebant, itaque Tullius, « quum peristromata etiam attingere vellet, sic est « loquutus (4. Verr. c. 1, n. 1): *Nego ullam pictu-« ram neque in Tabulis neque textilem fuisse, quin « conquisierit,* quare *Picturae,* quae in linteis sint « recte appellantur, *Tabulae* non item, si veterem « scribendi consuetudinem sequi libet. » (Vol. IV, pag. 257, ed. patav.)

Haec cl. Inscriptionum Magistri et auctoris doctrina nimis rigida videtur. Nam etiam leges, testamenta, et alia scripta priscis temporibus quia ligneis

tabulis exarabantur, *tabulae* fuerunt appellata, idemque nomen postea retinuerunt, licet in quacumque demum alia materia, quam in lignea fuerint scripta. Quamobrem (Dig. Lib. XXXVII, initio Tit. XI) Ulpianus ita nos docet: « *Tabulas* testamenti accipere « debemus omnem materiae figuram, sive igitur ta- « bulae sint ligneae, sive cuiuscumque alterius ma- « teriae, sive chartae, sive membranae sint; vel e « corio alicuius animalis: *tabulae* recte dicentur. » Igitur si velimus sequi analogiam, cujus, quemadmodum ait Quintilianus (lib. 1, cap. 6) haec vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet; non apparet ratio cur picturas telae illitas minus recte dicemus, *tabulas*. Quod in latino idiomate, id et accidit in nostro, quo quidem picturae, quae non a natura materiae, cui inductae sunt sed ab ejusdem materiae figura nominantur *Quadri*, quia ea figura plerumque est quadrata, aut saltem rectos habens angulos et a vulgo fere accepta tamquam quadrata; neque tamen hoc nomen *Quadri* mutatur quum alia prorsus est figura. Praeclare Baldinucius (Diz. Dis. voc. *Quadro*): « Fra' Pittori è presa « comunemente questa voce per ogni sorta di pit- « tura, fatta in tela, o legno, o d'altra materia, « che sia quadra o d'altra figura; e così far molti « quadri, intendono far molte pitture in tele, tavole, « o altre materie quadre, o d'altra figura. »

Quamquam illud ipsum argumentum, quo innitur Morcellius, veteres Latinos pictorem in tela pingentem vidisse nullum, non adeo stabile videtur ut his Plinii verbis infirmari non possit (H. N. lib. XXXV, cap. 33): « Et nostrae aetatis insaniam ex pictura « non omittam Nero princeps iusserat colosseum se « pingi CXX pedum in linteo, incognitum ad hoc

« tempus. Ea pictura quum peracta esset in Maianis « hortis, accensa fulmine cum optima hortorum parte « conflagravit. » Hic igitur Plinius testatur romanos spectasse picturam in linteo, et quum prius dixerit se suae aetatis insaniam ex pictura nolle praetermittere, perspicuum est illa verba *ignotum ad hoc tempus* referenda esse ad effigiem quatenus erat ideo colosseam; an vero etiam quatenus picta in linteo dubitari potest, quia hac de causa opus insani hominis vocari potuisse minime videtur. Quapropter suspicari licet illud *in linteo* additum fuisse ut sic ostenderetur haud difficulter id effectum, quod commode propter magnitudinem fieri in tabula non potuisset. Denique etiam si concederetur ante Neronem ignotam plane fuisse in tela pingendi rationem, haudquaquam consequeretur non potuisse mox deinde aliquatenus in usum venisse.

Cicero autem agens de Verris rapinis, *Nego,* inquit, *ullam picturam, neque in tabula, neque textili* (alii legunt *textilem*) *fuisse,* quin *conquisierit, inspexerit; quod placitum sit, abstulerit.* Sic enim complectitur non solum picturas proprie dictas, quae fiunt in tabulis pennicillo et *liquidis,* ut ait Horatius, *coloribus* (IV, Od. 8, v. 7); sed etiam quae acu, aut textura fiunt in pannis, quos ipse *ibid cap. 12* vocat peripetasmata, et nos dicimus *Tappeti, Arazzi.* Atque has picturas, ut latini non appellabant *tabulas,* sic neque nos appellamus *Quadri.*
